



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Polonica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



POLONICA.

CRACOVIAE.

IN CRACOVIAM JUL. CÆS.

SCALIGER.



*Artia Sarmaticis tentata Croatia nimbis
Arcigeri pugnax spicula fregit equi.
Hinc belli fortunam armis, finemq; sequuta
Germana Herciniis expulit arma jugis.*

Quaq; patet solis fugiens Lituania campis

Victrici imposuit Martia signa manu.

Moscorviisq; docet, Turcisq; augusta trophais,

Vicinis quantum sit bene tuta quies.

Tessera certa manu stat belli, & pacis: utramvis

Si des, accipiam: vel cape, namq; dabo.

INSCRIPTIONES.

Sig. Augusto, Sig. F. Casim. N Jagellonio, Poloniarum regi, & magno Lituaniæ ac reliquæ Sarmatiæ Duci ac Domino, qui accisis R. R. vestigalibus recuperandis, & Lituanis ac Prussis ad regni corpus aggregandis, vindex dici meruit legum pubb. Regi ipsi, & regum filio, nepoti, pronep. abnep. qui nulla suscepta ex tribus uxoribus sobole, eundem, heu, vitæ suæ, & stirpis ac Imperii Jagellonidar. qui bis centum prope annos in Polonia, hoc amplius etiam in Lituania, imperitarunt, terminum habuit. Princeps consilio quàm facto promptior: utroq; etiam supra fortunam mitior: totus industrius, patiens, lentus, benignus. moritur Cniffini Non. Jul. Anno orb. red. M. D. LXXII. regni sui XLIII. ætatis suæ LII.

Qq iiij

*Anna soror infans Poloniar. Frat. & Regi.
principi opt. orbæ ac lugentes poss.*

IN ARCIS CRACOVIENSIS PORTA.

Ama osurus. * Odi amaturus.
Ne quid nimis.
Cunctis esto benignus. Nemini blandus.
Paucis familiaris. Omnib. æquus.
In adversis fortis. In prosperis cautus.
Memorare novissima, & non peccabis.

IN REGII CONCLAVIS JANUA.

Digito compesce labellum.
Occasionem nosce.
Nosce te ipsum.
Tecum habita.

IN SACELLO, A SIGISMUNDO I. POL.
Rege exstructo.

*Non mirere hospes decus hoc sublime sacelli,
Saxa q̄, Phidiaco sculpta magisterio.
Hoc statuit Sigismundus opus, qui struxit & arcem.
Clarius hic recta sed ratione labor.
Illum ne credas, dum momentanea condit
Atria, perpetuam postposuisse domum.*

Bonus, bonis & malis.
Manfuetioribus Camœnis.
Injuriam odio prosequere.
Fata viam aperient.
Vir prudens servit tempori.
Virtus labore nitescit.
Pro patria mori ne timeas.
Injuriarum remedium optimum oblivio.

Mors bona initium vitæ.
Inimici hominis domestici ejus.
Nonne duodecim horæ dici?

Summum

Summum lucrum justum precium.
 Nemo sapiens, nisi patiens.
 Idonea tempora nosce.
 Prudens consilium cum ratione rege.
 Invidiam oblivione ulciscere.
 Nulla bestia nocentior adulate.
 Intestina discordia pestis Reip.
 Supra vires tentandum nihil.
 Patienter ferenda quæ mutari non possunt.
 Operosum placere cunctis.
 Fraude perit virtus.
 Quod facis, expecta.
 Leges in plebem vim habent: In potentio-
 rem ob-
 mutescunt.
 Citò violatur auro justitia.
 Nescias quod scis, si sapis.

IN ÆDIBUS LITHUANIÆ Du-
cis D. Alberti Razevvil.

Minus in parvis fortuna furit.
 Rebus in parvis alta lætitia.

*Sola sub occiduo virtus manet orbe perennis,
 Omnia mortali cætera sorte cadunt.*

A L I U D.

Johanni á Mielecz, Stanislai F. gente Griffio, Palatino
 Podoliæ, summo regni Poloniæ Marscalco, Samboriensi
 & Grodecensi Capitaneo, viro clarissimo, qui ab ineunte
 ætate maximis iisque continuis bellis, vel hostibus cæsis,
 vel ipse vulneribus exceptis, & fortissimi militis, & stic-
 nui ducis laudem persæpe meruit. Summis demum non
 raro periculis liberatus, digna ob egregiam fidem & præ-
 stantem virtutem suam, collatis maximis honoribus,
 præmia obtinuit. Postea ad bellum Livonicum, summo
 cum imperio, magno omnium cum consensu profectu-
 rus feliciter, nec dum armis expeditis, pacem á Rege Li-
 vonibus petere coactis, incolumem exercitum suis resti-
 tuit. cujus constans in D. O. M. pietas, in gubernanda

R. P. spectata fides, in magistratu sine acerbitate gravitas, erga suos par comitati benevolentia, in omnes æquitas, chara imprimis Deo, grata hominibus, immortalem nomini ipsius laudem apud omnes pararunt. Mortuus anno 1561. ætatis suæ 60. Anna á Daleio W, ex vetusta Colorum gente, marito, & Nicolaus filius unicus patri desideratissimo, ad monumentum ejus posuerunt.

A L I U D.

Illustris & magnifici viri, animi celsitate, virtute atque integritate senatoris clarissimi, Martini Zborowii de Rithwiani é gente stemmatibusque Gastrembeciorum, patre Andrea Zborowio, & matre Elisabetha Sfidlovecia progeniti, Castellani Cracoviensis, & præfecti Stobnicensis dignissimi.

*Affertor patria qui libertatis in omni
Vita, cum magna virtutis & integritatis
Laude fuit, tumulo situs est Martinus in isto
Zborovius. similes natos in honoribus amplis
Postquam vidisset, generis natusq; pudicas
Eximias de gente sua Lithavaq; locasset
Patritiis; quorum esse aliquos nunc membra videmus
Consilii augusti. sic ævo ritè peracto
Mortali, atq; opibus magnis justè ille paratis,
Extinctus placidè, caliq; receptus in arce est.
Castellanus erat tum Cracoviensis, & Anna
Sancta tori consors hoc posteritasq; locarunt
Sarcophago corpus, summa quod luce resurget.*

A L I U D.

Annæ illustris & magnifici viri Martini á Zborow Castellani Cracoviensis consorti carissimæ, Stanislao Conario ex Sophia Lanckorunska progenitæ, matronæ quæ per omne mortalis hujus ævi tempus sanctè & inculpate vivens, priscis illis Heroidum Christiani nominis matronis æquari poterat, posteaquam octo filiis & totidem foemellis in lucem editis domum Zboroviam præclara auxit sobole, & septuagesimum sextum ætatis annum attigit;

git; placidè anno salutis M. D. LXXV. prid. Calend. Decembris extincta, ad coeleste beatorum migravit consortium. Filii filiaeq; superstites ad perpetuam posteritatis memoriam hoc monumentum moerentes posuerunt.

*Feminei exemplar jacet hic prae grande pudoris
Anna Stanislai filia Conarii.*

*Qua genitricem habuit Sophiam virtute nitentem,
Lanckorunseo sanguine progenitam.*

*Cum teneri tria lustra forent, avi illius, uxor
Martino fauste est tradita Zborovio.*

*Bis quatuor siquidem pueris totidemq; puellis
Hunc fecit fato prosperiore patrem.*

*Vidit & auctum opibus magnis, & honoribus amplis:
Nam Castellanus Cracoviensis erat.*

*Una vixerunt ita quinquaginta per annos,
Sed rapit è vivis mors prius atra virum.*

*Illa quoq; undecimo post letho extinguitur anno,
Andrea festo sole cadente die.*

*Mille & quingentis & quinq; ubi junxeris annis,
Septenas decades mortis hic annus erit.*

*Hac ita dum vixit, natos in honoribus amplis
Egregios vidit, qualibet arte viros.*

*Vidit & his similes è prole utraq; nepotes
Indole, num dici jure beata nequit?*

A L I U D.

Stanislaus Bojanowski ex majori Polonia patriis bonis contentus esse nolens, aulam & ejus promissa secutus, anno 1565. octava Junii Cracoviae moritur, antequam vivere didicisset. ætatis suæ anno 48.

A L I U D.

Bernardo Joapowski J. U. Doctore, Cantore Cracoviensi, Cubiculario Apostolico, & Regio Secretario, viro erudito, carmine & prosa excellenti, patruus posuit. Scripsit historiam Polonorum, ex qua quantum ingenio valuerit, posteris judicandum reliquit. Obiit XXI. Novemb. anno 1535.

A L I U D.

Illustri ac magnifico Domino Johanni Comiti in Tarnow, Castellano Cracoviensi, exercituum regni Polonię supremo Duci, ac Sandomiriensi, Striensi, Lubaczoviensiq; Capitaneo; viro in consultando prudentissimo, & bellando fortissimo. Qui cum regiones longinquas peragrando sepulcrum Domini adiisset; & Regis Lusitanię copias contra Mauros cum maxima laude duxisset; domique & in pace, prudentia, gravitate, doctrina, integritate, jurisperitia, justitia, liberalitate, urbanitate, fecundia, summa in omnes humanitate, & in bello, præsertim Moschico & Valachico, mira facilitate, fortitudine, scientia rei militaris, vigilantia, experientia, & duro labore, aliisque amplissimis virtutibus & rebus gestis cumulatissimus claruisset; vitam hanc fragilem, exactis 73. vitæ suę annis, in sancta catholica fide in curia sua Viecojonęsi anno Domini 1561. die 16. Maji, non sine lacrymis multorum, morte complevit. Constantinus Dux Ostrogoriæ Palatinus Kioviensis, socero suo observantię suę multis nominibus debitæ signum, monumentum hoc, in quo situs est, erigi curavit.

PORTÆ GRATULATORIÆ
in nuptiis Polonicis, An-
no 1592.

*O divam haud hominem referens, lectissima virgo,
Sis felix, fausto hæc limina tange pede.
Progredere Austriacas inter pulcherrima nympha,
Delicia sponso virgo futura tuo.
Expectata venis, regali sede toroq;
Digna hominum pridem judicioque deum.*

CALLIMACHI ITALI.

*Exuvias præter pellemq;, atq; ossa Latini
Nil hic Callimachi terra Polona tegit.
Illa Borysthenides rapuere, tenentq; Camœna,
Quarum primus amor, gloria prima fuit.*

Hæc

*Hoc perfecturus, si copula longa fuisset,
 Venissetq; suo justa propago toro,
 Sarmatide é nympha: ne barbara terra videri
 Posset, Romana vel minús apta toga.
 Sed mors invidit, qua nil odiosius, atqui
 Qua feritas tacito non caret opprobrio.
 Æneus est tumulus, mors anea, & aneus ille,
 Qui legit hac siccis tristia verba oculis.*

Stephanus Magnus Rex Poloniæ Magnusq;
 Dux Lithuanix,
 Princeps Transylvaniæ,
 Victor, triumphator, pater patriæ,
 Stephano Palatino, Catharinaque
 Telegdia,

Natus anni 1533. 5. Calend. Octobris.

Excessit 1586. Idid. Decemb.

Regnavit annos decem, menses VII. dies
 XII. judicia constituit;

Livoniam, Polotiamque provin-
 cias recepit:

Fines Lithuanix latissimo Velissensi
 agro adjecto, protulit:

Perterritis Mechemete primúm, ac de-
 inde Aschlan, Chereis,

Tattarorum Chamis,

Podoliam pacatiorem cultiorem-
 que reddidit,

Amuratem, Turcarum Impe-
 ratorem,

Ut Tattaro pacem legatione
 missâ peteret,

Et Beneria á Kosacis deleta, nil
 moveret,

Novaque castella finibus imponi
 pateretur,

Opinione virtutis permovit, continuitque:

Stipendium majus, Transylvaniæ Impe-
 rium ineunti Sigismundo, fratris
 filio, impuberi:

Imponere molientem deterruit:
 Janiculam, Valachiaë Regulum, ob injurias,
 quas vicina nobilitati
 Intulerat, dejicere adegit;
 Thesaurosque, qui cum ipso Valacho
 in potestatem suam venerant,
 repetentem sprevit:
 Omnium regum, Principum, ac popu-
 lorum, nationumq; cum ora in
 se convertisset:
 Majora pro re hac publica & Christia-
 na animo agitans:
 Ac in primis Moschoviam Poloniaë Lithu-
 aniaëq; aggregare studens, sexta die
 subito extinctus est.
 O mors invida
 Non extinxisti virtutem Bathoream,
 Immortalis est.

Stephano Poloniaë Regi, Victori, Triumphatori,
 pio, patri patriæ &c. Joannes de Zamoiscio Cancellarius,
 & summus dux exercituum Regni &c. vitâ, quam saluti
 gloriaëque ejus omnibus bellis periculisque devoverat,
 Deo, non se ita volente, superstes, has lachrymas, cum
 Griselide Bathorea, uxore sua, regi, patrono, affini que suo
 fundit:

Viveres, Stephane Maxime, viveres,
 Nec Polonia, Ungariaque, ac
 Nomen Christianum lugeret.
 Nec improbi barbari gauderent.
 Sed vivit Deus, haud solido exultabunt gaudio.

 IN FORO CRACOVIENSI.

*Non bene si domus hæc cuiquam fabricata videtur,
 Sic sinat hæc nobis, corrigat ipse suam.*

IBIDEM.

*Ni Deus adificet, frustra domus ulla paratur.
 Felices crves datq; facitq; Deus.*

Infeli-

Infelicitas nemini obijcienda.
 Bona opinio, dulcis pecunia.
 Adsit quisquis amicus.
 Mors deridet curas.
 Est Juppiter omnibus idem.
 Nescia torporis virtus.
 Desperata ne tentes.
 Perficienda aggredere.
 Ubi opes, ibi amici.
 Vana mundi curiositas.
 Necessitas probat amicitias veras, detegit, fictas.
 Wenn der Neid brente wie ferver!
 So wer das Holz lang nicht so tewer. quod ita La-
 tinum fecimus.
Instar si flamma arderent, corda invida; sané
Non tanto in precio ligna cremanda forent.

IBIDEM

Vetus hic & usitatus hypocritarum mos est, quod impietatis, cui ipsi maximé omniú obnoxii sunt, alios, eosq; innocenter, accusent, ac eo quoq; nomine trucident.

IBIDEM.

Curiosum genus hominum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam.

IN ARCIS POSNANI-
ensis porta.

Quantó major est fortuna; tantó minús est secura.

IN ANTIQUIS PALATINI
Posnaniensis adibus.

Sumtus censum ne superet.
 Generosis decora sunt omnia.
 Difficile est tacere.
 Parta labore jvant.
 Responde in tempore.

Mala sunt vicina bonis.
 Anxiè vivere non est vivere.
 Ne bos in lingua.
 Lædenti parcere virtus.
 Moribus probatus esto.

IN NOVIS.

Neminem contemne.

IN CURIA POSNAN.

Tyrannus facit quod placet;
 Rex quod honestum est.

Ubi est temperata potestas, ibi regnum est diuturnum.

IN FORO.

Non cuivis manum porrigas.
 In via ligna ne feces.
 Aëris alieni comes miseria.
 Tempora tempore tempera.
 Carere debet omni vitio, qui in alium paratus dicere est.
 Præcipitis consilii comes est pœnitentia,
 Ne lingua mente celerior.
 Antidotum vitæ patientia.
 Naturâ quis pauper? opinione dives.
 Fortuna cùm blanditur, vel maximè fugienda.
 Sat habet fautorum, semper qui vixit bene.
 Quod satis est cui contingit, nihil ampliùs optet.

Veraci creditur, & mentienti:
 Mendaci non creditur & jurato.

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper.
 Si ad opinionem, nunquam eris dives.
 Natura enim exiguum desiderat:
 Opinio autem immensum.

Non bo.

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Quod commodavit fortuna, tollet:
Quod mutuavit fortuna, repetet.

Quod paraverit virtus, retinebis.
Invidiam virtute supera.

Demosthenes Græcorum disertissimus leges animam civitatis esse inquit. Ut enim corpus animâ vivit: sic civitas legibus conservatur. Proinde naturæ & sui ipsius obliviscitur, qui sacratissimas constitutiones, patriasque leges aversatur.

D. HIERON.

Illam senex retinebo fidem, in qua puer sum natus.
Semper spero meliora futura.

Wer hie auf erden gute tag wil han/
Der nem sich Christi nicht vil an/
Denn wer hie Christum recht bekent/
Musz das Creuz tragen bisz ans end.

Suavissimus post laborem fructus.
Mors & tempus vorant omnia.
Vita sine literis mors est, & vivi hominis sepulcrum.

*Omnia sunt mundi quasi bulla caduca rotundi.
In pratis ut flos, sic cadit omnis honos.*

Sapientia vitæ custos.
Ornatus vitæ temperantia.
Fundamentum famæ justitia.
In parvis quies.
Amicos facit benevolentia.
Velis quod possis.
Vive, ut post vivas.

Fortunæ aculeus virtute contunditur.

Rr

Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.
 In secundis meditare quo pacto adversa feras.
 Senectus laudabilis duobus quasi scipionibus niti-
 tur: recordatione vitæ honestæ antea, & spe vitæ me-
 lioris.

Non sapias plus quàm necesse est.
 Bonorum laborum fructus gloriosus.
 Δὲς πρὸς αὐτὸν αἰσχρὸν εἰσπρέειν λίθον.
 Primus error veniam meretur, repetitæ culpæ non
 venia, sed reprehensio debetur.
 Pax iniquissima bello justissimo præferenda.

VILNÆ IN LITUA-

N I A.

EPITAPHIUM EQUI STEPHANI
 REGIS POLONIÆ, QUI EODEM DIE,
 quo regis frater dominus Transylvaniae ex-
 tinctus est, exanimis con-
 cidit.

*Regis equus Stephani forma gressuq; superbus
 Et cursu velox prope Vilna conditur arcem,
 Qui moriens Regis fratrem presagii esse
 Sublatum é vivis: docuit quod fama secuta.
 Huic statua erecta est monumentum testis equini.*

HIEROSOLYMÆ.

AD S. SEPULCRUM QUOD
 VOCANT

Hierusalem, Bethleem & Nazareth.

JUL. CÆS. SCALIGER.

*Hic genua, hic animum, hic lacrymas, hic carmina pone:
 Mensq; mea ad patrium subvolat aucta polum.
 O promissa novo, populo promissa vetusto:
 Qua libertatis jura beata dabas:*

Cur vi-